

intromittere, dixit ei dominus ut intraret viellator. Cumque intrasset et tempore oportuno exsequi vellet officium suum, dum viellam suam temperaret, venit quidam, et cum lardo vel alio genere sagiminis derisorie perunxit fila seu pilos virge sue viellaris. Cumque, arrepta virga memorata, super viellam traheret, sonus non fuit, unctione mellos auferente.¹ Quid ergo faceret? In se confusus non modicum, [fol. 65a] insacculata viella sua, surrexit, exivit et recessit. Cumque aliquantulum elongatus esset a loco, deprehendit quod unam cirothecarum suarum amississet, et cum eam sollicitus, ut moris est, circa se queritaret, contigit ut versus locum unde venerat se converteret. Et ecce nichil ibi vidit nisi terram planam. Stupefactus autem ad visum, per viam qua venerat repedabat. Et cum venisset ad locum ubi castrum fuerat, nichil ibi reperit, nisi terram planam, et in medio fontem unum, et iuxta fontem cirothecam suam iacentem, castro cum omnibus contentis a terra absortis. Sane Dominus evidenter hoc exemplo demonstrabat quod ipse paciens redditor est; quod si cum tempus transit, ita appropinquatur ultio iusto iudicio Dei, propter quod *non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*, etc. Hoc exemplum predicavit frater Hugo de Succune in partibus transmarinis, dicens quod hoc ita evenisse audierat enarrari, et cum ita sub dubio rem gestam proponeret, dixit ei quidam ex sedentibus: 'Frater, secure narretis hoc exemplum, nam ego scio locum ubi hoc accidit'.

[De illis qui iniuriam faciunt Ecclesie.]

(113) Quantum repungent saluti Christianorum inordinationes que fiunt in ecclesia testatur exemplum quoddam inter gesta sancti Bricii, condam discipuli et successoris² beati Martini. Invenitur enim quod cum sanctus Martinus missam celebraret beatus Bricius vidit dyabolum retro post altare scribentem peccata que fiebant in ecclesia, ridendo, loquendo servitium Dei impediendo. Et dyabolus cum non haberet satis de per[fol. 65b]gameno volens ipsum extendere rupit pergamenum et collisit capud ad murum. Hoc videns beatus Bricius risit. Celebrata vero missa beatus Martinus increpavit eum de risu;

¹ MS. afferente.

² MS. successoribus.

Ecclesiasticus v, 7.

Gesta S. Bricii.

qui dixit ei causam risus: et coniuratus dyabolus dixit quid scripserat. Beatus autem Martinus populo predicavit, et contriti sunt et confessi ita quod dyabolus coactus est delere quicquid scripserat.

(114) Quomodo vero Deum offendunt qui iniuriam ecclesie faciunt, exempla subscripta luculenter ostendunt. Legitur in hystoria scolastica de Pompeio quod, postquam illi qui cum eo erant prophanaverunt templum et stabulaverunt equos in portu templi, nunquam post punxit quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortunatissimus. Et Heliodorus volens templum spoliare etiam ad mandatum regis domini sui divinitus flagellatus est.

(115) Secundum exemplum super hac materia reperitur in eodem non negligendum, et est hoc exemplum. Capta civitate Dublinie ab Anglicis in principio, cum sagittarius quidam inter alios denarium ad crucem illam sollempnem in ecclesia sancte Trinitatis obtulisset, revertens eundem post se statim venientem a tergo suscepit. Cui iterum revertenti et ad crucem reportanti videntibus et admirantibus multis idem evenit. Tum vero coram omnibus confessus est se domos archiepiscopi intra ecclesie illius septa eodem die spoliasse. Et sic penitencia ei super hoc iniuncta redditisque universis que ei obvenerant, tercio [fol. 66a] denarium eundem cum timore magno et reverencia ad crucem retulit, qui et ibidem tum demum sine motu permansit. Explicit exemplum.—Sane hoc exemplum etiam contra rapinam erit ydoneum si servata veritate de spoliacione domus cuiusdam absolute proponatur.

(116) Exemplum adhuc tertium laudabile valde de materia presenti proponitur nobis in eodem libro de rege Francorum Lodowyco Christianissimo, qui quidem tempore beati Thome Cantu[a]riensi regnavit, et ipsum in regno suo bulliente persecutione regis Henrici habundanter et devote exhibuit. Est autem hoc exemplum. Reversus a curia Romana familiaris eiusdem regis clericus, cum iniuncta negocia bene peracta regi significasset, ex habundanti ut fidelis regi videretur, ostendit ei privilegium quo cathedralium ecclesiarum vacantium in regno suo custodiam habere et fructus interim percipere summus ei pontifex indulgebat. Quo rex audito litteras a manu portitoris arreptas statim in ignem misit, dicens se de aliis negociis

H.S., 2
Mac. ix
(P.L.,
cxcviii,
col. 1529).

2 Machab.
iii, 34.

G.E., I,
lii (p.
155-6).

G.E., II,
xi (p.
217).